EPISTOLA

PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

ECCLESIAE VERONENSIS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXLI.

PETRUS AURELIUS MUTTI

AB. ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS CASINENSIS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

VERONENSIS EPISCOPUS

Clero ac universo populo salutem in Domino.

Providentia illa ineffabilis, quae humanis rebus omnibus sapientissime praesidet, haud raro sub fortuitorum eventuum specie altissimam consiliorum suorum rationem occultare consuevit. Si enim causas tantum inferiores aspiceremus, ac mentis et fidei aciem usque ad solium Dei negligeremus attollere; dubitandi nobis periculum foret cum impiis, quorum apud Psalmistam mentio est: *Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso* (1)? Verum hujusmodi incomprehensibilium divinarum dispensationum exemplum, fateor, Veronenses praestantissimi, me quoque oculis vestris in me ipso conspiciendum praebere. Quis enim ex vobis, qui meam animi et corporis tenuitatem aliquantulum cognovisset, praesertim omnibus illis muneribus destitutam, quibus fulcitur dignitas episcopalis et exornatur, me ad pastoralis ministerii onus suscipiendum idoneum existimasset? At Deus, in cujus manu corda regum sunt, cujus voluntas per romani Pontificis oraculum declaratur, qui Moysen ex eremo, David a pascuis ad regendos populos evocavit, me pariter ad istius perillustris Dioecesis cathedram tot sanctis Praesulibus ac amplissimis viris antea condecoratam mirabiliter elegit, ut eo magis potentia ejus in mea infirmitate, et lux in tenebris meis elucesceret.

(1) Ps. 72. v. 11.

Sedebam in pulcritudine pacis, in tabernaculis fiduciae (1), *sub umbra, quam desideraveram* (2), hujus solitarii Coenobii ab augustissimo imperatore Francisco I perpetua recordatione dignissimo munificentissime restituti; et, velut qui magnis defunctus maris periculis e securitate litoris procellam adhuc saevientem despectat, meritas Deo grates persolvebam, qui mihi quarta vice casinensium Monachorum Congregationis sinum recluderet, a quo jam ter fueram vi tempestatis depulsus. En tandem, ita mecum ipse reputabam, ad firmitatem portus me recepi; non amplius pericula, nec vicissitudines, nec fluctus saeculi: *In nidulo meo moriar* (3); jam senesco; cito circa stratum doloris mei stabunt fratres, atque extremum spiritum meum in osculo Domini excipientes transitum animae meae consolabuntur. Haec maxima cum delectatione saepius recogitabam, praesertim intempestae noctis silentio; cum Deus ab excelso demittens brachium suum conquisivit in pulvere, et tanquam e sepulcro derepente excitans in tantum lucis ac periculi fastigium sustulit me. Proh dolor! ea saltem fuissem aetate, cui robur et vigor inest in vinea Domini desudandi: at nunc *virtus mea dereliquit me, defecit caro et spiritus meus*, et cor mihi tantummodo reliquum est. Utique, Veronenses dilectissimi, cor mihi adhuc superest, et ferventius, quam solebat, salit in pectore, et in conspectu vestro sentio illud veluti sese extollere, sublimioresque sensus concipere ac dilatari, ut vos omnes excipiam, et tanquam *filiolos in Christo Jesu iterum parturiam* (4). Quoad cetera in eo pariter confidam, qui me dedit vobis patrem; jamque caligine rarefacta paulatim videor introspicere Providentiae consilium, ejusque vestigia dignoscere. Quorsum enim putatis istam Dioecesim concreditam mihi fuisse, tot usque huc tamque praeclaris Antistitibus institutam, ac postremo eximii ac vigilantissimi Vicarii capitularis opera sapientissime administratam; optimis Parochis et Sacerdotibus praeditam; pluribus in dies auctam institutionibus ad civilem et christianam rempublicam reformandam ac augendam perutilibus, una cum populo bonis moribus instructo, atque pene, ut ita dicam, suapte natura ad pietatis studium com-

(1) Isai. c. 32. v. 18. (2) Cantic. c. 2. v. 3. (3) Job c. 29. v. 18.
(4) Galat. c. 4. v. 19.

parato, nisi ut in tanta adjumentorum copia firmissimum haberem meae infirmitati subsidium?

Et in primis mea fiducia in vobis sita est, praeclarissimi Patres, unde istud insigne Canonicorum Collegium coalescit, quod longum saeculorum tramitem splendidissimis vestigiis obsignavit. Nam muneris vestri non est tantum in Basilica cathedrali statis horis angelicas laudes canere, et tum psalmodiae majestate, tum augustissima divinorum mysteriorum celebratione circumstantem populum ad pietatem acriter incitare; sed et Caput, cujus membra estis nobiliora (1), in pastoralis onere ministerii consiliis et opera, quandocumque opus fuerit, adjuvare; nec non toti Clero vosmetipsos *exemplum praebere bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate* (2), ut splendore virtutis praelucere videamini, qui honore antecellitis et dignitate.

Vos autem, Rectores, et Pastores animarum dilectissimi ac desideratissimi, quibus caelestis Agricola agrum suum excolendum distribuit; vos, qui *portatis pondus diei et aestus,* praecipui eritis mihi adjutores in Euangelio Dei; vos *consolatio, corona et gaudium meum.* Oh quam praeclarum est ministerium vestrum! Filii Dei generantur, nutriuntur, crescunt atque moriuntur in manibus vestris; Caelum semper in vos intentos oculos tenet a vobis expectans electos suos. Itaque officiorum vestrorum praestantiam recogitate; sanctitatem prae oculis habete Sacramentorum, quae a vobis administrantur, et gratiam vocationis vestrae, qua *vocati estis in aedificationem corporis Christi,* quod est Ecclesia; sic vitam et mores componite, ut *vos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (3). *Attendite vobis et ovibus vestris custodientes eas a lupis rapientibus et dispergentibus gregem,* idest ab hominibus perversis, *qui se ipsos maculaverunt,* atque alios, praesertim juvenes, falsis doctrinis ac sermonibus pravis inficientes, corrumpunt; studio et solertia in salutis viam reducite errantes; ad poenitentiam peccatores revocate, sed in vulneribus eorum curandis *vinum et oleum* adhibete, Samaritani exemplum secuti; pauperes

(1) Alex. III. De muner. Praelat. ad Patr. Hieros. (2) Tit. c. 2. v. 7.
(3) I. Corinth. c. 4. v. 1.

fovete, afflictos consolamini, visitate infirmos, morituris adstate assiduis vigiliis, ad omnia caritatis officia operam studiumque conferte, partes optimi pastoris adimplentes. Habete autem ad populum sacras et idoneas conciones *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis Dei* (1). Tunc enim tantummodo in vitia poteritis secura fronte declamare, superbis humilitatem indicere, avaris liberalitatem, ultoribus veniam, omnibus pacem, continentiam, misericordiam commendare, si vos ipsi *forma facti gregis ex animo* humiles, liberales, benigni, pacifici, continentes, temperantes, patientes, misericordes ad ministerium verbi vim exempli efficacissimam addideritis.

At quoniam *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (2), *orationibus instate non deficientes*. Vos, qui in Novi Testamenti Scripturis assidue versamini, non ignoratis nihil unquam Apostolos pro bono Ecclesiae suscepisse, nisi se antea ad opus, ad quod assumpti fuerant, per orationem comparassent; haec est mysticum oleum fortitudinis, quo Christi athletae unguntur ad pugnam. Scio equidem nonnullos, ut ab hac tam salutari exercitatione se eximant, occupationes et labores ministerii posse in medium afferre. Sed, proh Deus immortalis! tot bonae ac piae animae, quas ad vitam sustentandam per totam diem fatigari oportet, solis occasum vehementer exoptant, *ut ad dilecta tabernacula Domini virtutum sese recipiant,* ubi timores, angustias, indigentias et sollicitudinem omnem *in eum, cui cura est de illis, projicientes,* ac requiem et solamen in sinu ejus requirentes, *hauriant aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*; nobis vero, qui ministri atque amici ejus nominamur ac sumus, qui supra humeros onus Angelis ipsis formidandum portamus, tempus non erit ullum *ad thronum gratiae adeundi cum fiducia, ut misericordiam inveniamus, et gratiam consequamur in auxilio opportuno* (3), et cum *Patre misericordiarum et Deo totius consolationis* de necessitatibus nostris ac gregis, de quo a nobis cito districta ratio reddenda erit, conferamus? Attamen cum homines simus *mortales, infirmi, lutea vasa portantes, qui faciunt sibi in-*

(1) I. Corinth. c. 2. v. 4. (2) Jacob. c. 1. v. 17. (3) Hebr. c. 4. v. 16.

vicem angustias, necesse habemus requiem aliquoties et solamen humanae infirmitati concedere: et revera hoc indulgebat et Christus Discipulis suis; immo ipse eos secum ad pausandum et requiescendum perducebat; sed quo putatis? *In plateas? in capita omnium viarum?* in profanorum hominum conventus? Nequaquam: *Venite*, dicebat eis, *in desertum locum, et requiescite pusillum* (1): cujus loci nomine videtur mihi illum recessum innuere, in quo solet interdum Ecclesia ad spirituales exercitationes sacerdotes suos congregare. Ne sit itaque vobis grave, si quando dixero vobis: *Venite in desertum locum, et requiescite pusillum*. Si forte quis vestrum totum annum ad pertinaces peccatores conterendos frustra defatigatus, ac de sterilitate dolens laborum suorum animo conciderit, *veniat tunc in desertum locum*, veniat ad solitudinem, ubi eum Deus expectat, ut animae ejus loquens blandiatur. *Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei:* hic est panis, qui *cor hominis confirmat, et in fortitudine illius*, cum redieris, o bone Pastor, ad pugnam, superbam poteris perditissimorum hominum cervicem deprimere; verba enim oris tui, *sicut sagittae in manu potentis, in corda* penetrabunt *inimicorum regis* Domini; *populi sub te cadent*, et ante pedes tuos prosternentur. Sed quomodo providus agricola curas praecipuas in tenellis germinibus, similiter et vos in pueris instituendis laborem et vigilantiam singularem impendite. Quod eo magis faciendum est, cum hujus pastoralis praedicationis genus soleat prae aliis facilius et fructuosius spei respondere. Quando etenim vos ad populum verba facitis, ut christianis disciplinis imbuatur, opus est, sicut prophetae Jeremiae indictum fuit, prius destruere, inde aedificare: *Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, et aedifices et plantes* (2). Nempe antea pravas consuetudines evellere, vitia destruere, opinionum commenta atque errores disperdere et dissipare oportet; sed in pueris excolendis aedificandum est tantummodo ac plantandum; terra est virginalis, omni impedimento expedita, quae nec spinas adhuc, nec tribulos germinavit. Animi enim puériles, quos falsa nondum praeoccuparunt documenta, et in quos antea pravae consuetudines minime dominatae sunt, prompte primum verbi

(1) Marc. c. 6. v. 31. (2) C. 1. v. 10.

Dei semen suscipiunt, quod ita profunde in mentem injicitur ac tam firmas immittit radices, ut pene cum mente ipsa congenitum esse videatur. Quod si forte, procedentibus annis, propter illecebras saeculi eos de via recta declinare contigerit; remanent tamen jugiter in imo conscientiae sinu quaedam primae institutionis vestigia, quae in lucidis perturbatae mentis intervallis facile revirescunt ita, ut abjectus animus, remittente vi cupiditatum, velociter resurgat, ac veluti insita proclivitate relaxatum elasterium denuo se recipiat, atque ad humanae dignitatis recordationem et virtutis desiderium erigatur.

Eo autem mea devenit oratio, quo sinceros meae gratulationis sensus erga vos, optimi Veronenses, qui tantae opus utilitatis insigni studio persequimini, cohibere non valeam. Pulcherrimum sane Dei hominumque oculis spectaculum! Festis diebus Templa omnibus personarum ordinibus redundare pueros atque puellas in fide ac lege Dei erudire studentium; illustres matronas ac nobilissimos viros parvulorum magisterio gloriari, atque ad Christi exemplum gaudere, quod se videant istorum agminibus circumseptos, qui tenelli et aqua Baptismatis, ut ita dicam, adhuc irrorati, esurientes circumstant sanctae matris Ecclesiae uberibus inhiantes. Quotiescumque mihi recens natus infans sacro fonte regeneratus occurrit; cogitantem me admirabilem conditionis ejus immutationem, dignitatem, ad quam *renatus ex aqua et Spiritu Sancto* elevatur, vere caelestem, nitidissimum gratiae splendorem circumundique irradiantem, Angelum ad custodiam nobilissimum deputatum, divinam adoptionem collatam, ipsum denique Spiritum Sanctum in eum tanquam in domicilium descendentem; talis ac tantus erga puerulum illum obsequii ac reverentiae sensus aggreditur, ut propemodum adoraturus humi procumbam. En itaque, pii christianae Doctrinae Operarii, deposita manibus vestris concredita, en pretiosae Ecclesiae primitiae vobis excolendae, parvuli videlicet Jesu Christi, quos moribus ac religione informare debetis, ut disciplinam bene et christiane vivendi adipiscantur, et contra errores ac mundi lenocinia praemuniti discant, quemadmodum jubet apostolus Petrus, cuicumque eos de fide, quam profitentur, interroganti scite et idonee respondere. Verum Doctrinae christianae schola non modo a pueris et puellis, sed ab omnibus Christifide-

libus frequentanda est. Scientia quippe Sanctorum est omnium scientiarum eminentissima, quam *unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (1): cujuscumque intelligentiae, cuicumque ingenio sublimi aut humili, exculto aut rudi sese accommodat, universas animi restaurat et dirigit facultates, totum hominem reformat; scientia vere supra naturam, falli nescia, unice necessaria, scientia nempe salutis aeternae.

At istius magisterii perfectionem attingere sacerdotem praesertim decet. Nam scriptum est: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus* (2); et alibi: *Quoniam scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (3). Hoc innuebant in Sacerdotis Veteris Testamenti pectore praefulgentes gemmae, quae juxta Patrum sententiam, et maxime sanctorum doctorum Hieronymi et Bedae, necessitatem ac splendorem sacerdotalis doctrinae aperte commemorabant (4): ut *ea veste Sacerdos indutus*, ita supra dicti Patres, *meminisset se studiis doctrinae inquirendis in sacerdotio fuisse consecratum*. Verum istius laudabilis Dioecesis Clerus quasi quadam majorum hereditate singularis doctrinae famam adeptus in omni disciplinarum genere, et praecipue divinarum rerum eruditione, enitescit. Praeterea, quod permaxime interest, cum literarum studio irreprehensam vitae rationem conjungit. *Sacerdos debet*, ait Chrysostomus, *ita vitam habere compositam, ut omnes in illum velut exemplar excellens intueantur; idcirco enim nos elegit Deus, ut simus quasi luminaria et magistri virtutum* (5). Quamobrem animi virtutibus etiam forma exterior respondeat necesse est. *Sic decet*, declarat sancta Tridentina Synodus, *Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos componere, ut habitu, sermone, gestu, incessu aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum et religione plenum praeseferant* (6). Et jampridem dixerat b. Ambrosius, *vocem quamdam animi esse corporis motus* (7). Attamen sub habitu quoque et specie sacerdotali mundani latere possunt affectus, nec semper vestis modeste composita securum moderati animi solet esse indicium. Sed, utcumque sit, ministros Altissimi ad

(1) Joan. c. 1. v. 18. (2) Malach. c. 2. v. 7. (3) Osee c. 4. v. 6.
(4) Hier. Ep. 128., Bed. De Tabern. l. 3. c. 3. (5) Hom. 20. in Ep. I. ad Tim.
(6) Sess. 22. c. 1. (7) De Officiis l. 1. c. 18.

saecularia sese abjicere, profanorum hominum frequentare conventus, spectaculis interesse, ac leves, molles elegantioresque ita se exhibere, ut magis ad choreas, quam ad altare parati esse videantur, dedecet omnino, ac proborum et improborum oculis sordet. Quae nostra animadversio elogium melius, quam documentum vobis est, Fratres in Domino dilectissimi; nam sacerdotes veronenses solemne jamdudum habent, non solum moribus, verum etiam vestibus praeseferre gravitatem. Restat igitur tantum, ut habitus, quo uti gloriamini, vos de praestantia conditionis vestrae, de mysteriorum sanctitate, de tremenda obligationum vestrarum ratione semper admoneat. Quod eo magis vobis necessarium est, quod, cum ministerii exercendi causa in hominum societate versari opus sit, spiritus hujus mundi paulatim in incautas mentes irrepere facili negotio potest. Lux enim veritatis in tenebris, speculum sanctitatis in communi hominum depravatione, charitatis et patientiae exemplar in persecutionibus vos esse debetis: vestrum est in tot destructionis scandalis aedificare, in tot perditionis periculis salvare, lilii fragrantiam in tot libidinum foetore diffundere, atque contagiosis ac inveteratis humanorum cordium ulceribus mederi, quin tamen pestifera eorum effluvia hauriatis. Sed heu *quam difficile est*, ait Augustinus, *virtutem in tam multiplici hominum genere, et in ista vita turbulentiore servare* (1)! Habitus itaque ecclesiasticus vobis circumspectionem ingerat salutarem, sitque perpetuum mnemosynon *vos induisse Jesum Christum Dominum nostrum,* atque ita comparatos esse oportere, ut in fronte modestiam et decus Jesu Christi, in labiis sapientiam Jesu Christi, in corde charitatem Jesu Christi jugiter habeatis.

Nunc autem vos alloqui vehementer gestio, ingenui Adolescentes, qui, dato clericali militiae nomine, Deum pro vestra hereditate possidere contenditis: vos eritis deinceps officii nostri episcopalis cura praecipua: in deliciis habebimus quo saepius licuerit, vestrum studiorum ac scientiarum sacrum domicilium invisere, in quo sub oculis probatissimi Moderatoris vestri, ac illustrium Praeceptorum magisterio in spem crescitis et vota inclytae veronensis Ecclesiae. Interea disciplinae amorem vobis etiam atque etiam commendare contenti erimus, at disciplinae revera clericalis, disciplinae scilicet illius,

(1) De morib. Eccl. Cath.

quae per Prophetam *disciplina Domini* appellatur, *disciplina intellectus et cordis,* de qua idem Propheta David canebat: *Disciplina tua ipsa me docebit*. Nam qui diligit disciplinam, diligit et scientiam, diligit studium, ordinem, obedientiam, humilitatem, devotionem. Disciplina enim non modo animi, verum et corporis motibus moderatur, omnium virtutum magistra. Propterea tum veteris, tum novi Testamenti Sancti omnes fuerunt *propter disciplinae dona commendati*. At vero cum nemo sacerdotii ministerium usurpare debeat, nisi tamquam Aaron vocatus fuerit, sedulo perpendite, Dilectissimi, utrum vocatio vestra desursum, an deorsum sit. Quemcumque enim finem in sacerdotio eligendo vobis proposuistis, nisi cum divini Institutoris mente consentiat, minime legitimus censendus est. Idcirco, ut dignum ab indignis finibus prudenter possitis dignoscere, necesse est in imos spiritus vestri recessus oculum mentis, ab omni terrenarum rerum caligine detersum, injicere; quantumcumque enim homo suapte natura ad alios decipiendos sit facilis, ad semetipsum tamen decipiendum longe facilior. Oh! si noveritis obscurissimam humani cordis profunditatem, si sciretis in quot flexus et inflexus sese obvolvant cogitationes hominum; minus fidentes sane ac praecipites de vestrae vocationis sinceritate judicaretis. Itaque quamvis nos, ut amplissimae Dioecesis nostrae necessitatibus provideamus, sacerdotum numerum in dies augeri magnopere desideremus, satius tamen est, ait Concilium Lateranense IV., paucos bonos, quam multos malos habere ministros (1). Propterea, ut recte et caute in tanto negotio procedatis, in primis Spiritus Sancti lumen implorate, dicentes cum Samuele: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus*. Sed ne putetis, Charissimi, ipsum vobis mira voce, qua eidem Prophetae locutus est, esse locuturum. Vobis potius viam, qua ambuletis, per conscientiae vestrae Moderatorem notam faciet, cui genuinam animae vestrae imaginem praebere debetis, ne, causa parum cognita, ad falsum judicium perducatur. Vos pariter, laudabiles cathedralis Ecclesiae Acolythi, qui sub insignis istius Canonicorum Collegii vigilantia literarum ac pietatis disciplinis addiscendis operam datis, obsecro atque obtestor, ut tanta proficiendi opportunitate utentes, opinionem, quae de vobis concepta est, sedulo impleatis: stu-

(1) Cap. 27.

diorum vestrorum opus bene compositum et ordinatum sit; gravis et religione plena conversatio vestra; externus devotionis cultus, quem in sacro Ecclesiae ministerio ostenditis, interno obsequii et compunctionis sensu informetur; ne dederitis vosmetipsos ineptis vulgi sermonibus, nec in praemiis humanis spem posueritis rerum vestrarum, sed altius spectate, et *manentis illius civitatis, in qua scripti sumus et cives decreti* (1), mercedem contuemini.

Quomodo autem pastoralis sollicitudinis ac dilectionis nostrae sensa erga vos aperire possemus, venerabiles Patres, qui seu simplicis Congregationis titulo rite conjuncti, seu solemni votorum adstricti sacramento in singularem Dei famulatum et proximorum salutem incumbentes arduum evangelicae perfectionis iter arripuistis? Nihil enim esse potest Deo acceptius et rei christianae utilius, quam illi hominum jure ac vinculo Religionis sociatorum coetus, qui Ordines religiosi appellantur. Quisque enim aliquantulum in ecclesiasticis versatus historiis, quam optime de moribus et literis merita fuerint hujusmodi sodalitia, non ignorat. Tanto in honore ab Ecclesia semper habita sunt, ut flos evangelicus, illustrior pars gregis Christi, apostolicae militiae robur electum nuncupentur. Ne putetis tamen idem mundo judicium fore; ipse vos oderit, sicut Christum, cujus strenue recolitis vestigia; verum ne perturbemini. Dummodo Institutionum vestrarum vim religiose servetis, sinite irrideat mundus et mordeat acribus censuris; ejus vituperatio erit vobis praecipuum virtutis vestrae testimonium; persecutio capiti vestro corona splendidissima. Mundum contemnere jam didicistis: iste est *singularis ille aper*, de quo vaticinatus est Propheta, qui in agrum caelestis Agricolae irrumpens, *vineam, quam plantaverat dextera ejus, depastus est*, et *hortos conclusos, fontes signatos, domus orationis* evertit, vastavit, delevit; nunc autem radices, quas putaverat avulsas penitus et ejectas, torvis despicit oculis repullulantes. Nam, ut primum licuit, optimi Veronenses qui tantum excidium ferebant aegerrime, vineas Domini plantarunt denuo, hortos conclusos, fontes signatos refecerunt, collectisque undecumque dispersis lapidibus Sanctuarii, claustra, templa diruta sacrasque aedes religiosissime restaurarunt. Revera quot paucorum annorum spatio claustralia se-

(1) Bed. Serm. 18. de Sanctis.

quioris sexus sodalitia instituta sunt, in quibus velut in totidem alvearibus varia sacrarum Virginum agmina pie sancteque mellificant, et tum christianae, tum etiam civili puellarum educationi addictae, quasi apes argumentosae, Deo deserviunt ita, ut mirabili quodam modo fugam mundi cum mundi utilitate conjungant! Pergite, sacrae Virgines, opus feliciter inceptum; excolite immaculata germina vobis caelitus concredita; consuefacite puellulas occupationes ac pensa domestica congruenter quotidie exequi; maxime autem illis vanitatis contemptum, pudorem atque modestiam exquisitam inspirate, pulcherrimum feminei sexus ornamentum. Verum dum vobis est de aliis cura, cavete ne vosmetipsas negligatis; orare, meditari, pias lectiones colere, quotidianum sit animarum vestrarum alimentum; sollicite ab omnibus profanis rebus abhorrete; et, sicut Christus praecepit, negationi vestrae studete; quae virtus, quamquam omnibus Christifidelibus necessaria sit, religiosae tamen vitae est quaedam propria virtus; neque eam tanquam onerosam statui vestro conditionem habetote; quin immo haec una potest illam vobis pacem afferre, cujus inquirendae causa in haec sacra penetralia venistis. Nam quo magis Domino oblata victima extenuabitur, eo minus sacrificio repugnabit. Primo quidem valde fortasse commovebitur, et graviter ictus *gladii* illius invisibilis feret, quem Filius Dei venit *mittere in terram,* ad separandum hominem *a patre suo et filio et fratre ac sorore,* et, quod acerbissimum est, a semetipso. Sed pingui confecto holocausto, et illapsa de caelo flamma ad consumendam victimam, *gustabitis et videbitis quam suavis sit Dominus,* atque illud *absconditum manna* comedetis, quod Deus non expugnatoribus urbium, non populorum domatoribus promisit, sed *vincenti se ipsum*. Tunc jejunium dapes, paupertas divitias, labor requiem, subjectio vobis sapiet imperium; pacato animo, serena conscientia, affectibus compositis, mente ad caelum erecta exultabitis gaudio spiritus; dies vestri *fluvius pacis*, rivulus *aquae salientis in vitam aeternam*. At Deus vester, mementote, quod *Deus zelotes est, Deus odio habens rapinam in holocausto*. *Sponsavit* enim *vos in fide*, et *annulis septem subarrhavit vos,* ut cor vestrum sibi totum vindicaret ac possideret. Itaque si uno etiam furtivo tantum obtutu mundum respiciatis, divinus Sponsus contristabitur, irascetur et puniet, nec aliun-

de nisi a vobis capiet poenam, vosmetipsas tradendo in desideria cordis vestri; ista, ultionis suae ministri implacabiles, taediis, molestiis, moeroribus, velut diris aculeis infida pectora dilaniabunt. Quicquid igitur mundum, redolet, gravi aversamini stomacho, ut *pax Dei, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu* (1).

Sed longior essem quam oporteret, si Veronensium singula publicae utilitatis Instituta vel leviter tantum attingere vellem. Nam quocumque aspicias in viis, undecumque propemodum pietatis ac religionis sese offerunt monumenta. Istic videre est lingua et auribus captos per sagacissimum patientis charitatis magisterium expedite loqui, atque addi humano consortio, quos naturae aberratio penitus excludere videbatur; parvulos, qui singularem ingenii vim praeseferunt, de medio populi collectos accuratiori modo excoli et erudiri, ne semina felicis naturae in eis posita sterilescant; perillustres viros ac matronas nosocomia invisere, aegrotos omnigenis subsidiis recreare, ac in illo dolentium ac moerentium regno divinum dolorum Regem adorare; nec minori studio in locis pluribus femineas puerilis aetatis scholas aperiri, ubi ille tam fragilis quam docilis sexus juxta diversam statuum conditionem bene et honeste vivendi leges perdiscat; praeterea mendicos et vagos colligi et hospitio recipi; malas feminas ad bonam frugem reduci; puellas periclitantes praesidio ac vigilantia custodiri; viduas, pupillos, senes tecto, alimonia atque omnimodis subsidiis confortari. Haec et alia hujusmodi humanitatis et beneficentiae opera exercere, nec non consiliis, ope, largitionibus adjuvare peculiaris quaedam est istius civitatis gloria. Sed ut a fundamentis christiana respublica reficeretur, ab infantibus incipiendum putavit, ut quicumque maternae educationis penuria laborarent, in sodalitiis rite institutis, et sub Pastorum vigilantia e matris gremio inter piorum institutorum brachia recepti, non solum fidei ac legis Dei rudimenta vivo ore haurirent, verum etiam politiori quadam ac humaniori forma eorum mores effingerentur. Neque iste collapsam morum disciplinam restaurandi fervor opportunius, quam in hanc temporum acerbitatem post perniciosissimam omnium ordinum perturbationem incidere poterat. Quamobrem *hujus rei gratia* cum Apostolo

(1) Philipp. c. 4. v. 7.

flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, . . . ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per Spiritum ejus (1), et charitas vestra nec temporum vicissitudine, nec adversariorum malitia refrigescat. Instabiles enim et caducae hominum institutiones, sicut homo ipse a quo proficiscuntur, esse solent; et nisi operariorum zelo et constantia innitantur, degenerare paulatim et penitus cadere necesse est. Israelitarum igitur exemplum sequimini, qui Templum reaedificantes *una manu faciebant opus, altera autem tenebant gladium;* idest inceptum opus simul et alacri animo persequimini, et abusus forte sensim irrepturos propulsate.

Nunc autem ad *vos* patet *os meum,* Viri egregii, qui sive publico, sive privato nomine studiosae juventutis instituendae praeclarum munus suscepistis. Quidquid charius, jucundius ac pretiosius Ecclesiae, Patriae, Regno potest esse, manibus vestris commendatur; pendet enim a vobis praecipue crescentis sobolis futura conditio. Verum quamvis bonarum artium, literarum, nec non quarumcumque humanarum rerum cognitiones suapte natura optimae sint; utiles tamen vel exitiosae futurae sunt prout ipsae adhibentur; arma sunt quae pro Patria vel contra distringi possunt; sunt faces ad illuminandum aeque ac ad comburendum idoneae; sola Religio potest eas absque ullo aberrandi periculo ad commune bonum dirigere ac comparare; quod animadvertens sapientissimus Imperator Religionis studium cum aliis omnibus studiis conjungi voluit. Etsi autem huic praestantissimo magisterio peculiaris Praeceptor addictus sit; ceteri quoque ad eumdem finem tendere congruenter debent; nulla etenim existit scientia, quae ad divinitatis cultum aliquo modo referri non possit. Universus orbis quoddam est volumen Deum praedicans: *Caeli,* ait Psalmista, *enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Quare Apostolus ad Romanos scribens: *Invisibilia,* inquit, *ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* (2). Hic est finis ultimus, a quo nulla humanarum rerum cognitio deflectere unquam debet. Quaecumque sit igitur singularis professionis vestrae disciplina, semper vobis fas est opportunis digressionibus a visibilibus rebus ad invisibiles, a materialibus ad spirituales, a terra

(1) Ephes. c. 3. v. 14. 16. (2) C. 1. v. 20.

ad caelum discipulorum mentes erigere, atque de veritate in veritatem, exinde ad fontem veritatum omnium perducere. Verona scriptorum tum ingenii laude, tum sapientia, doctrina, eloquentiae vi, nec non liberalibus artibus clarissimorum copia ad hanc usque aetatem apprime floruit ita, ut in literarum italicarum historiis a remotissima temporum vetustate insignem jure ac merito obtineat locum. Pergite itaque, inclyti Veronenses, fulgidissima majorum vestrorum vestigia sectari. Attamen liceat mihi gravissimam vobis Pauli sententiam commemorare: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (1). Sciendi cupidini, aeque ac ceteris cupiditatibus, prudenter ac juste moderari opus est. Deus qui planetarum iter circulis indeclinabilibus conclusit, ne harmoniam turbarent caelorum; qui praecepit mari ne *transiret fines suos*, ut continentium securitati consuleret, atque *usque huc pertinges*, indixit ei, *et non procedes amplius, atque hic confringes tumentes fluctus tuos;* quosdam etiam limites vehementi hominum ac insatiabili sciendi libidini ponere non dubitavit, ad superbiam praesertim impudentium Philosophorum coercendam, quorum effraenata elatio perniciosius, quam elementorum perturbatio, debacchatur. Verum cum naturale hominis desiderium reconditas rerum causas detegendi cognosceret, investigandi facultatem benignissime indulsit; ita tamen, ut se temperantiae moderamine intra humanae conditionis terminos contineret. Videtis ne istum mirabili phaenomenorum copia et arcanis legibus plenum orbem terrarum? Istum, ait Ecclesiasticus, tradidit Deus disputationibus vestris. Nitimini quidem, o philosophi, implexa naturae aenigmata enucleare, astrorum altitudines ac distantias metiri, fulguri habenas imponere, tentate profundum maris, tumentibus ejus fluctibus dominamini; at cavete, ne illos christianae sobrietatis fines, quos vobis praescribit Apostolus, transiliatis. Nam utcumque sublimes ac speciosae vestrae excogitationes futurae sint, nisi fidei dogmatibus consentiant, vanas esse et prorsus fallaces necesse est: *Deus locutus est*, sufficit. *Haec dicit Dominus omnipotens; omnis iniquitas oppilet os suum.* Quid enim magis rationi consentaneum, quam illi se aeternae rationi conformare, illi nunquam deficienti luci adhaerere, *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mun-*

(1) Rom. c. 12. v. 3.

dum? Itaque nimiam sciendi cupidinem coercete, nec superbis inquisitionibus intelligere praesumatis quod demisse tantum credere debetis.

Sed hoc pastoralis exhortationis officium plene absolvere non arbitrarer, nisi ad te quoque converteretur oratio, Vir praestantissime, qui mente et consilio religiosissimi Imperatoris, cujus vices digne geris, informatus, tanta sapientia, prudentia et publicae prosperitatis studio praeclaram Veronensium Provinciam administras; nec non ad vos, Magistratus inclyti, qui justitiae tuendae, ordini tranquillitatique servandis indefessas curas vestras impenditis. Religio catholica, quam profiteri gloriamini, a vobis opem ac praesidium per me postulat; non quod humanis indigeat adjumentis: filia namque Omnipotentis talem desursum obtinet virtutis vim, quae illam in prosperitate et pace, aeque ac in aerumna et bello efficit prorsus invictam. Inter calamitates prognata crevit in sanguine, et de vulneribus ipsis pulcrior in dies ac fortior effecta est. Per tria et amplius saecula horribiles inter adversitates nullum humanum invocavit auxilium; sola, derelicta, vituperata, inermis, undecumque obstricta se mundi contumeliis atque persecutionibus, nec non principibus omni diritate atque immanitate teterrimis permisit; at postquam forti et constanti animo eis omnigenam spem victoriae ademit, ac impotentem illorum furorem consumpsit, tunc advocavit eos non tanquam defensores, sed discipulos; non ut opem, sed ut cultum et obedientiam exigeret: *Et nunc reges intelligite,* clamitat; *erudimini qui judicatis terram* (1)*:* intelligite, quoniam frustra me delere contenditis; *apprehendite disciplinam* legum mearum; nunc ego vobis mei protegendi gloriam concedo, cum me destrui non posse persuasum tandem habeatis. Sed longe aliter vobis loquitur, eximii Magistratus, pii ministri augusti illius Monarchae, qui magis, quam de proprio diademate, de Christi Cruce gloriatur; vobis, quos in sinu suo generavit et ubere enutrivit, velut mater amantissima loquitur, et materno imperio illustri Veronensium Ecclesiae ejusque Pastori jubet patrocinari, atque ad blasphemias in faucibus impiorum cohibendas, ad scandala auferenda, et impudentes legum ecclesiasticarum violatores compescendos auctoritatem pastoralem regia auctoritate roborare,

(1) Psal. 2. v. 10. 12.

ita ut ambae potestates aequo et amico foedere copulatae commune Fidelium bonum concordibus animis certent promovere.

Vos denique omnes, optimi Veronenses, cujuscumque ordinis ac conditionis, paternos cordis nostri sensus excipite, ac docilem primis Pastoris vestri documentis aurem praebete. Itaque ut ab illa virtute, quae ab Augustino christiani aedificii fundamentum nuncupatur, exordiar, fidem vobis ante omnia commendo, at non qualemcumque fidem; fidem vivam, simplicem, fortem; eam scilicet, quae *per charitatem operatur*, et veluti quotidianum alimentum omnes animi facultates vivificat, atque in gratia Dei corroborat, quae nimirum est fides, de qua inquit Apostolus: *Justus autem meus ex fide vivit*. Vividum enim hujusmodi fidei lumen carnis et sanguinis dissipat praestigia, vitiosa corrigit judicia, fallacesque sensuum impressiones ita reformat, ut novis nos quodammodo refecti oculis res expetibiles, aliter ac videt mundus, videamus; idest non quales foris apparent, sed quales coram Deo revera sunt. Fidem item simplicem callidis mundanae dialecticae expeditam sophismatibus, quibus veritates Christi lucidiores obtenebrantur, fortiora atque vehementiora dogmata emolliuntur, vitii virtutisque notiones pene immutantur; nam humilitas, pudor, devotio, divinitatis contemplatio, abjectionis, rusticitatis, hypocrisis, otii ac ignaviae nomine appellantur. Superba quaedam philosophia humanarum cupiditatum assentatrix blandientium sententiarum lenociniis omnia inficit ac corrumpit, eoque insolentiae processit, ut immutabiles Evangelii leges temporibus accommodandas esse contendat. Sit igitur fides, quemadmodum ait Apostolus, *non in sapientia hominum, sed in virtute Dei* (1): credite et operamini *in simplicitate cordis vestri,* sicut praecipit vobis divinus fidei Auctor. Beatos ipse appellat pauperes, beatos qui lugent, qui tribulationem vel persecutionem patiuntur; et vos haec, quae videntur Evangelii paradoxa, indubitabiles veritates firmiter credite et observate: Deum super omnia, proximos tanquam nos ipsos jubet diligere, inimicos amplecti, malefacientibus benefacere, divitibus de substantiis suis opem ferre indigentibus, pauperibus egestatem patienter sustinere, mercatoribus justitiam tueri, dominis mansuetudinem, famulis fidelitatem, conjugibus thalami castitatem, virginibus, ut *sint sanctae corpore*

(1) I. Cor. c. 2. v. 5.

et spiritu, omnibus denique praecipit charitatem. Quae praecepta quamvis sublimia atque ardua videantur, simplici tamen ac humili obedientia absque ullo captiosae mentis circuitu fideliter exequiminor. Postremo fortis sit fides vestra, animarum vestrarum *scutum et lorica*. Nunc enimvero non est nobis cum tyrannis odio ac ira in Christifideles insanientibus colluctandum, ut temporibus illis, cum, desaeviente persecutionum procella, debebant Christiani super Martyrum sepulcra recenti adhuc sanguine rubescentia fidei confessionem proferre ac testificari: pretiosa haec margarita, quam divinus Negotiator e caelo detulit, ad quam comparandam majores nostri bona, patriam, libertatem, parentes vitamque ipsam dederunt, nullo stat nobis pretio: clam enim nobis, ut ita dicam, adhuc pnerulis posita est in sinu per Baptisma, et sine fortunarum et capitis discrimine possumus hisce temporibus publice libereque profiteri. Attamen alia nobis restat pugna, nec violenta nec formidabilis minus, sustinenda, pugna scilicet, ut Paulus ait, *carnis adversus spiritum* (1), naturae adversus gratiam, veteris hominis adversus novum, nostrum ipsorum adversus nos. Quod si nunc cum principibus terrae certamen non habemus, nobis est nihilominus *colluctatio adversus principes tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae* (2): propterea jubemur *armaturam Dei induere, et scutum fidei sumere, ut possimus stare adversus insidias diaboli,* qui *tanquam leo circuit quaerens quem devoret, cui resistere fortes in fide* (3) per apostolum Petrum admonemur. At vero vobis mihique magnopere gratulor, Veronenses dilectissimi, qui *divites estis in fide,* quam divinam a majoribus acceptam hereditatem liberis posterisque vestris tradendam fortiter custodientes tum splendidissimo Religionis cultu, tum frequenti Sacramentorum perceptione, tum etiam beneficentiae et charitatis operibus comprobatis. Quod cum ita sit, in docilitate vestra ac probitate spem reponentes, levius inde gravissimum episcopalis ministerii pondus nobis polliceri audemus. Nam quid gravius ac difficilius, quam amplissimae Dioecesis populum universum in viam salutis dirigere, animos aliter atque aliter comparatos gubernare et componere, liberis imperare voluntatibus, vitia expurgare, virtutes inserere, tot negotiorum, cupiditatum, cogitationum exagitatum pela-

(1) Galat. c. 5. v. 17. (2) Ephes. c. 6. v. 12. (3) Ibid. v. 11. 16. et I. Petr. c. 5. v. 8. 9.

gus compescere ac moderari? Idcirco Apostolus ad Timotheum scribens jubet *instare* non solum *opportune,* verum etiam *importune;* non *obsecrare* tantum, sed quoque *arguere ac increpare in omni patientia et doctrina* (1). Verum utinam obsecrandi sollicitudine contentos nos esse liceret! Sed aliter nonnunquam fert necessitas; ea enim est rerum humanarum conditio, ut aliquando prodesse non possimus, nisi displicere audeamus. Non enim debemus *hominibus placere,* sed Deo; non *secundum carnem ambulare,* nec mala benignitate reprehendendis subditorum operibus vel falsis opinionum commentis suffragari; oportet quidem errantium miserescere, sed errorem corrigere; peccatorem amplecti, sed vitia reprobare; prudentiam cum simplicitate, cum suavitate constantiam, cum mansuetudine auctoritatem permiscere; tenera Jesu Christi viscera in corde gestare, frontem autem ad ejus Crucem induratam objicere.

Ita Deus nos adjuvet auxilio gratiae suae, quam suppliciter poscimus, ut nos pretiosum animarum vestrarum depositum omni studio custodituros pollicemur. Muneris nostri erit sanctificationi vestrae prospicere, pacem et concordiam civium fovere, nec non nova quoque pietatis instituta rectae rationi et communi bono consentanea, et quicquid id genus moribus et Religioni profuturum judicabimus, consiliis et ope, prout opportunitas tulerit, nulla interposita mora juvare et promovere; in omnibus autem, quae nobis gerenda contigerint, ea mente nos acturos proponimus, ut in gloriam Dei tantummodo, ac majorem vestram utilitatem animum intendamus. Ceterum quod ad me attinet, *dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu, testificari Euangelium gratiae Dei* (2), cura mihi nulla, utrum laude an reprehensione *dignus a vobis judicer, aut ab humano die; sed neque meipsum judicabo, cum timore ac tremore* (3) praestolans judicium Dei. Itaque in vos posthac, Veronenses dilectissimi, omnia studia ac desideria nostra unice spectabunt. Intelligentia quidem, pietate, doctrina, nec non quocumque alio pastorali munere ab omnibus Antecessoribus meis longe distare me fateor; verum amore, quo in Christo Jesu ego vos diligo, nemini equidem cedo. Estote mihi filii, sicut ero vobis pater; orate pro Pastore vestro, sicut ipse assidue pro vobis orabit, ut

(1) II. c. 4. v. 2. (2) Act. c. 20. v. 24. (3) I. Cor. c. 4. v. 3.

omnes in aerumnosa hac vita charitatis vinculo conjuncti in aeterno denique vivamus caelestis beatitudinis consortio.

Praesertim vero fervidas Deo preces pro supremo hierarcha GREGORIO XVI. feliciter regnante jugiter fundite, ut ad orbis catholici pondus portandum Petri fortitudine corroborare, atque ad universae Ecclesiae prosperitatem augendam pretiosos ejus dies servare ac multiplicare dignetur. Orate pro augustissimi imperatoris ac regis nostri FERDINANDI incolumitate, qui plus quam imperii potestate, clementia et beneficiis nobis dominatur; nec non pro humanissimo Principe Rainerio, qui ejus nomine huic florentissimo Regno laudabiliter admodum moderatur, totaque Caesarea Domo, in qua spectatissimum cunctarum regalium christianarumque virtutum exemplar elucescit.

Sed absit ut nos huic nostrae pastorali exhortationi finem facere velimus, quin secretam singularis consolationis nostrae causam vobis aperiamus. Nobis quidem innotuit cathedralem istam Basilicam beatae Virginis Assumptioni nuncupatam fuisse. Hoc ego nomine summopere recreari sentio, et quadam caelestis suavitatis voluptate perfundi; peculiari enim erga dulcissimam hanc Matrem ac Reginam religione jamdudum ita obstrictum me fateor, ut ejus cultum quoad potero maximum, velut securitatis scutum, electorum signaculum ac pignus salutis aeternae debeam ubique promovere. Sed cui melius hujusmodi devotionis cultus commendatus foret, quam Populo Veronensi, qui splendidissimo erga Mariam obsequio semper refulsit? Pergite igitur, Charissimi, Dei Matris honorem tota animi contentione curare; verum honorandi modus Ecclesiae catholicae doctrinis conformetur. Cavete, ne vos clementissima Mater de inani honore amarissimis Isaiae verbis redarguat dicens: *Populus iste labiis me honorat, cor autem ejus longe est a me* (3). Pergite in validissima ejus ope spem vestram collocare; at ita vivite, ut tantum patrocinium morum innocentia obtinere possitis. Mariam humiliter et fideliter veneramini: Mariam toto corde invocate, quotiescumque vos aut carnis illecebra, aut mundi lenocinium, aut diabolica pulset tentatio; praecipue autem mentis et corporis puritatem, ceterasque omnes incomparabilis Virginis virtutes imitari conamini. Nos itaque jam inde abhinc animas vestras illius manibus, quae claves thesaurorum caele-

(1) c. 29. v. 13. Math. c. 15. v. 8.

stium tenent, a quibus ipsum gratiarum omnium fontem accepimus, committere gaudemus: auspicatoque tantae Patronae auxilio, Sanctorumque omnium, quos haec Dioecesis piissima speciali cultu et honore veneratur, ministerium apostolicum aggredientes vobis pastoralem Benedictionem amantissime impertimur.

Datum apud S. Mariam Prataleae die Consecrationis nostrae XV. Kalend. Augusti anno MDCCCXLI.

PETRUS AURELIUS Episcopus Veronensis.

(7